

iter peragendum, quo ad æternitatem pergimus. Verum aliquando Viatici nomen in Conciliis, & Patribus tribuitur Sacramento poenitentiae, ut legere est in Can. 13. Concilii Nicæni I. & in epist. Innocentii Papæ I ad Exuperium Tolosanum cap. 2. Hujus nominis figura legitur 3. Regum 19., ubi Angelus dixit Eliæ: *Surge, comede: Grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.* De eo etiam loquuntur Patres Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio: *Alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id, & vidisset ipse, & audisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si Mysteriorum hujusmodi cum pura, ac munda conscientia fuerint participes spiritum effaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptam illud Sacram, hinc recta in cætum abducuntur:* S. Hieronymus ad cap. 15. S. Matthæi: *Non vult eos Jesus dimittere jejunos, ne deficiant in via. Periclitatur ergo, qui sine cælesti Pane ad optatam mansionem pervenire festinat. Unde, & Angelus loquitur ad Eliam: SURGE, & manduca, quia grandem viam ambulaturus es:* S. Gaudentius Tractatu 2. in Exodum: *Hoc illud est Viaticum nostri itineris, quo in hac vita alimur, ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus, de hoc seculo recedentes. Unde dicebat idem Dominus: Nisi manducaveritis meam Carnem, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis.*

Pro secunda Dissertationis parte, in qua quaeritur essentia metaphysica Eucharistiæ Sacramenti, quia hæc ostenditur per definitionem, ideo ejusdem definitiones a recentioribus Theologis scriptas afferimus, & easdem Legentibus observandas remittimus, si

quid aliud observatione dignum in eis est, ultra observationes, quas nos hic adnectimus. Jueninus sic definit Eucharistiæ: *Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Panis, & Vini, ad spiritualem fidelium refectionem ab ipso Christo institutum. Natalis Alexander definit etiam: Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi ad spiritualem fidelium alimoniam a Christo institutum. Cacheranus hoc etiam pacto definit: Est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Panis, & Vini, significativum, & causativum, gratia per modum alimenti, refectionisque spiritualis.*

In his definitionibus, seu potius descriptionibus, ut plurimum inter se convenientibus, videntur plura, ut certa affirmari, alia innui, & quæ majori explicatione indigent, atque probatione. Primo affirmatur, quod sit Sacramentum, & in hoc conveniunt omnes, sicut per eandem vocem cum aliis Sacramentis hoc Sacramentum convenit, adeoque dici potest, quod stet loco generis. Secundo innuitur, quod hoc Sacramentum consistat in Corpore, & Sanguine Christi sub speciebus panis, & vini, sed non determinatur in quonam ex his, & an in utroque consistat. Tertio innuitur quoque, quod sit ad spiritualem fidelium refectionem, sed non affirmatur, an hæc spiritualis refeccio ad Sacramenti essentiam pertineat? Quarto tandem affirmatur, quod sit a Christo Domino institutum, & in hoc Catholici omnes conveniunt. At quia hæretici plura, in quibus Catholici conveniunt, temere insiciantur; ideo & contra hos, quæ apud nos certa supponuntur, probare opus est, & alia, quæ inter nos controvertuntur, oportet etiam examinare.